NOVA TRAGICOCOMOEDIA

DE REBVS NVPER IN GERMANIA GESTIS, EX M. Plauti Comœdiis, inprimis Asinaria, Milite glorioso, & Captiuis collecta.

Cum argumentis scenarum, & explicatione obscuriorum locorum in margine.

PER ANDREAM GERMANUM Orchadanum.

Edinburgæ, quæ est Metropolis Scotiæ.

Anno CIↃ. IↃ. LXXXII.

Admonitio ad Lectorem.

Lector optime, ſcito te Tragœdiam, non fabulam, legere, & à ſocco ad cothurnum aſcendere.

ACTA BERGÆ NOVIS LVDIS VOLCANALIBVS, & FVNEBRIBVS, poſt primum Bellum Pantachuſticum, PVGNICVM. GERMANICVM, in quo de BONIS ORTHODOXIS Populis per totam GERMANIAM EFFVSIS VITOR FABRICVLA TVRPITER TRIVMPHAVIT.

COSS. *** Anno ab O. C. a VM. D. IX. NODOS FECIT Flacc. Illyr. TVRBIS PARIBVS b DEXTRIS & c SINISTRIS. DIVERBIA & MIMOS SCRIPSERVNT PLERIQVE VARII.

Conſulum nomen legi non potuit in Cod. M.S.
a Anno Domini 1580.
b Saxonicis.
c Sueuicis.

ARGVMENTVM HVIVS Tragicomœdiæ.

Actus primus inſcribitur Formator vbiquitatis.

Secundus, ſex viri Conciliatores, ſeu compilatores.

Tertius, Paraſiti ſeu Aſſeclæ.

Quartus, Clerici ſubſignatores.

Quintus, Fructus, nempe vincula, diſcordiæ & Deſolatio Germaniæ.

Hector Abusiger Epistolæ Terentianæ compilator.

PROLOGVS.

Mihi ad enarrandum hoc argumentum est comitas, *Mil. Glor.*
Si ad auscultandum vestra erit benignitas,
Qui autem auscultare nolet, exurgat foras,
Vt sit vbi sedeat ille, qui auscultare volet. *Amphit.*
Iouis iussu venio: nomē Mercurij est mihi.
Nunc argumentum huius eloquar Tragediȩ.
Quid contraxistis frontem? quia tragœdiam
Dixi futuram hāc. Deus sum, commutauero
Eandem hanc, si vultis: faciam ex Tragedia
Comœdia vt sit omnibus ijsdem versibus.
Faciam vt commista sit Tragicocomœdia. *Asin.*
Asinaria volt esse, si per vos licet.
Vel argumentū & nomē aliud nunc eloquar. *Mil. Glor.*
Alazon Græce nomen est Comȩdiæ,
Id nos Latini Gloriosum dicimus. *Amphit.*
Ipse hanc acturus est Iuppiter Comædiam.
Quid mirati estis? quasi vero nouum
Nunc proferatur, Iouem facere histrioniam.
Ridentem dicere verum
Quid vetat? *Exotic.*

ACTVS PRIMVS, qui inscribitur Formator Vbiquitatis.

Interlocutores.

Iac. A. seu Iupiter G. & Philocomasium seu Vbiquitas, Iouis istius, seu Iac. A. filia.

ARGVMENTVM SCENÆ.

Iac. A. seu Iupiter G. Philocomasium, id est, vbiquitatem filiam suam primum describit: deinde sibi iratam placare, ac abeuntem retinere cogitat.

Amphit. Ego sum ille Amphitruo, cuius est seruu Abusiger
(Idem Mercurius qui fit, quãdo cõmodũ est)
Qui interdum fio Iupiter, quando lubet.
Nunc huc honoris vestri venio gratia,
Vt hanc incoatam transigam Comœdiam:
Frustrationem hodie injiciam maximam,
Post igitur demum faciam, res fiat palàm.

Epid. Nunc sic rationẽ incipiens hanc instituam astutiam.

Mil. Glor. Et hinc & illinc filia fert imaginem,
Quæ hic est visa, vt visa non fiet: facta infecta *a* vt fient.
Atq; eadem erit, verũ alia esse assimulabitur.
Eccam domi, quã si quis tamen se vidisse ait,
Ei nos factitijs fabricis, & doctis dolis,
Glaucomam obijciemus, eumque ita
Faciemus, vt quid viderit, non viderit.
Iubeat sibi oculos effodi, quibus id, quod nusquam est, videt.

a Vbiquitatis descriptio, quæ est vbique, & nusquã est, & non est.

Mu-

Mulier hęc vbi volet esse, ibi esto. *Epid.*
Euge decēter hercle astitit, & dulcè & comœdicè.

Vbique durare nequeo in ædibus, ita me probri, *Philoc. seu Vbiq.*
Falsi, dedecoris, ab isto argutam patre!

Ea quæ sunt facta, infecta esse acclamat. *Amphi.*
Quæ neque sunt facta, neque ego in me admisi, arguit.
Atque id me susque, deque esse habituram putat?
Non ædepol faciā, neq; me perpetiar probri
Falso insimulatā. Quin ego illū aut deserам,
Aut satisfaciat mihi, atque adiuret insuper
Nolle esse dicta, quæ in me insontē protulit.

Faciundum est mihi istud, fieri quod isthæc postulat, *Iac. A.*
Si me illa amatem ad sese studeam recipere.
In hominū ætate multa eueniūt huiusmodi,
Capiunt voluptates, mox rursum miserias.
Iræ interveniunt, redeunt rursus in gratiam.
Totam miris modis nostram video turbatam familiam.

Ego à te abiens portum versus volito. *Philocom.*
Intereà dum isti certant, in Saxoniam abeundum est mihi.

ACTVS SECVNDVS.

Sex viri Conciliatores, seu Compilatores, Suffarcinatoresq; Iac. Vbiquitatis.

Interlocutores

Iac. A. & Sex viri Concil. seu compilatores Vbiq. Domini Superintendentes.

SCENA I.

ARGVMENTVM SCENÆ.

Sex viri domini Superintendētes a Iac. A. adhibentur in consilium, vt fractæ vbiquitati, id est, ipsius filiæ illocabili consulant. Itaque eam sibi despondent, ac conciliant, & Iac. A. præeuntis sententiam sine mora suis suffragijs comprobant, vbiquitatemque suffarcinant.

Mil. Glor. Iac. A. Quantas res turbo, quantas moueo machinas,
Si centuriati bene sunt manipulares mei,
Vt accuratè, & commodè hoc, quod agēdum est, exequamur.

Capt. Concil. Vbiq. O præses saltue, summe architecte. Sed quid tibi est rei?
Iac. A. Confracta est nauis.
Concil. Isthæc ridicularia.
Pol, si est animus æquus tibi, satis habes.
Iac. A. Virginem habeo grandem, dote cassam, atque a illocabilem,

a Vbiquitatem.

Neque eam queo locare cuiquam. Concil. Tace, bonum habe animū Amphitruo.
Dabitur, adiuvabere à nobis, si quid opus est, impera.
Qnæ res rectè vortat nobis, tibiq; filiæq;, tuæ,
Illam nobis vxorem poscimus. Promitte hoc fore.

Iac.

Iac. A. Nunc si filiam locassim meam vobis, in mentem venit,
Vos boues, me asellum, vbi sic coniuncti erimus.
Concil. Quod cælatum est, atque occultatum vsque adhuc proferre potes. — *Epid.*
Audacter quiduis dicito. — *Aulul.*
Iac. A. Volo scire hoc ego, [a] Philocomasium an salua futura. — *Mil. Glor.* — [a] Vbiquitas.
Concil. Præclude [b] inimicis commeatū, tibi muni viam — [b] Orthodoxia.
Iac. A. Ne me moneatis, memini ego officium meum.
Concil Tute vnus si hoc recipere ad te dicis, confidentia est,
Nos inimicos profligare posse. Iac. A. Dico, & recipio
Ad me: & ego me imperatorem dico ad id quod peto.
Addam prolationes: dummodo nunc primâ viâ
Inducamus, vera vt esse credát, quę mentibimur
Concil. Placet, vt dicis.
Nunquam tamē hoc vno die efficietur opus, opus semper fiet.
Iac. Venaticus, vsque donec persecutus volpem, [c] eto — *Trucul.* *Mil. Glor.*
Præterea noui indolem vestri ingenij, res cito parata erit. — [c] Pertinacia Iac. in vbiquitate populis propaganda.
Concil. O mi patrone, hoc cogitato, vbi probus est architectus,
Benè liniatam si semel carinam collocavit,

 Facilè

Facilè est nauem facere, vbi fundata & con-
stituta est.

Trucul. Iac. A. Ergo hoc agamus, quâ huc ventum

Mil. Glor. est gratiâ.

Concil. Eloquere quantū postules, præi ver-
bis, quod vis.

Quam potes, tam verba confer maxime ad
compendium.

Rud. Iac. A. Ergo mihi primum gratulabor, qui
illam inveni.

Concil. Censeo.

Iac. A. Quid postea? Con. Censeo. Iac A.
Quid ergo censes?

Exot. Concil. Quod rogas,
Censeo. Iac. A. Res soluta est.

Lepide hoc succedit sub manus negotium,
Prçsul vt ambarvat, sic volguredádruat *d* inde.

d Vt Antistes præcinit, & dictat: sic chorus succinit & subsignat.

ACTVS II. SCENA II.

Interlocutores.

Iac. A. & And. M. Vnus ex conciliatoribus.

ARGVMENTVM SCENÆ.

Iac. A. fatetur And. M. hominem delirum, et iam pridem hæreseos damnatū in vbiquitate suffarcinādo fuisse a se adhibitum.

Asin.

Iac. A. Hic senex
Neque novum, neque mirum fecit.
Neque quisquam est tam ingenio duro,
Quin vbi quicquam occasionis sit, sibi faciat
benè.

a And. M. vetus hæreticus, & iampridē a Phil. Mel. & tota Academia Vvittebergēsi damnatus.

And

And. M. Dij tibi omnes omnia optata ferant Capt.
Qui me tanto honore honeſtas, quumque ex infamia eximis.
Iac. A. Profectò deliramus interdum ſenes. Epid.

ACTVS SECVNDI SCENA III.

interlocutores.

Iac A. & Dau. C. Vnus ex Conciliatoribus.

ARGVMENTVM SCENÆ.

Iac. A. conqueritur, quod Dau. C. ſeſe à controverſia vbiquit. ſeparet. Ille contra compedes ſibi à Iac. A. iniectas fuiſſe ait.

Iac. A. Nimis homo Rud.
Nihil eſt, qui piger eſt.
Eſt mos obliuiſci hominibus.
Dau, C.
Mihi iſthic nec ſeritur, nec metitur. Epid.
Iſtas magnas factiões, animos, dotes dapſiles, Aulul.
Clamores, imperia, eburata vehicula, pallas, purpuram
Nihil moror, quæ in ſeruitutem bonos redi- guntviros.
Nunc ad vos ſcriptores, quod reliquum erit, Ciſtell. relinquitur.
Ibo ego intro, vt arceſſatur faber, qui iſtas cõ- Capt. pedes mihi adimat.

ACTVS TERTIVS Paraſiti ſeu aſſeclæ vbiquit.

SCENA I.

Interlocutores Luc. O. & Iac. A.

ARGVMENTVM SCENÆ.

Primarius vbiquitatis asseclа Luc. O. multos fraude ... se circõuentos gloriatur, et sese totum Iac. A. tradit.

Asin. Luc. O. Perfidiæ laudes, gratiasque habemus merito dijs magnas,
Quum nostris sycophantijs, dolis, astutijsque
Eas nũc legiones, copias, exercitusq; magnos
Vi pugnando, fallacijs nostris, euge, potiti:
Id virtute huius collegæ, meaque comitate
Capt. Factum est. Iac. A. Et hic hodiè expediet hanc doctè fallaciam.
Luc. O. Vtroq; vorsum rectum est ingenium meum,
Pro rota me vti licet.
Obsecro, infidelior mihi ne fuas, quàm ego sum tibi.
Tu hoc age, mihi herus nunc es, tu patronus, tu pater,
Tibi commẽdo spesque opesque meas. Iac. A. Sese omnes amant.

ACTVS III. SCENA II.

Interlocutores

Iac. A. & Ioan. Pa.

ARGVMENTVM SCENÆ.

Ioan

Ioan. P. palpatur a Iac. A. vt bonus auceps eorum, qui Vbiqui. contra D. Sturmiũ defendũt reiecta priori confessione orthodoxà, nempe M. Buceti.

Iac. A. O melle dulci dulcior mihi. *Asin.*

Ioan. P. Meum caput contemples, ſiquidem ex re conſultas tua,

Auceps ſum ego.

ACTVS III. SCENA III.

Interlocutores.

Nicod. F. Iac. A.

ARGVMENTVM SCENÆ.

Nicod. Fr. omnium vbiquit. aſſeclarũ vile mancipium irridetur etiam a Iac. A. et adulterij accuſatur.

Nicod. fr. Certe, ita ſeruus par videtur frugi ſeſe inſtituere, *Amph.*

Perindè vt herus, ipſe item ſit: voltum è voltu comparet, (deant

Triſtis ſit, ſi heri ſint triſtes: hilaris ſit, ſi gau-

Sed quum cogito, equidem certe idem ſum, qui ſemper fui.

Iac. A. Herũ in obſidione linquet: inimicûm animos auxerit. Fundum alienum arat. *Aſin.*

ACTVS III. SCENA IIII.

Interlocutores. Iac. A. & Steph. G.

ARGVMENTVM SCENÆ.

Steph. G. hominem verſutum incitat contra Orthodoxos Iac. A.

Iac. A. Quin tu ſocordiam omnem abs te reijce, & ſegnitiem amoue, *Aſin.*

Atque ad ingenium vetus, versutum te recipis tuum?

Steph. G. Hic homo socium ad malam rem quærit, quem adiungat sibi.

Iac. A. Tibi optionem sumito [a] Laonicum.
Fabricare quiduis, quiduis comminiscere.

Steph. G. Quid si forte in insidias deuenero,
Tu ne redimes me, si me hostes interceperint?

Iac. A. Redimam.

Steph. G. Profecto nemo est, quem iam dehinc metuam mihi,
Ne quid mihi nocere possit, quando tua
Oratione omnem animum ostendisti tuum.

[a] Intelligit Laonicum Spongiâ qui scripsit contra Danæû. alias Nicod. fr.

ACTVS III. SCENA V.

Interlocutores Iac. A. & And. Po.

ARGVMENTVM SCENÆ.

Exprobatur a Iac. A silentium And. Poch. quod metu ad librum contrà se editum nihil respondeat.

Asin. Iac. A. Quasi piscis, scio, captiones metuis.

And. Po. An tu me tristem putas?

Capt. Iac. A. Putem ego, quem video æquè esse mœstum, vt quasi dies si dicta sit?

Asin. And. Po. Nunc ego inter sacrum saxumq; sto, nec quid faciam scio.
Verba blanda aurum esse reris.

ACTVS III. SCENA VI.

Interlocutores Iac. A. & Guiliel. H.

ARGVMENTVM SCENÆ.

A. Iac. A. accusatur Guiliel. H. quod nimis immodestè contra Bezam scripserit.

Iac. A. Decet verecundum esse adolescentem.

Non

Non eadẽ omnia æquè omnibus ſuauia eſſe
ſcito.

Guil.H. Æcaſtor nobis periculum,& familiæ
portenditur.

Iac. A. nimis iracundè. non decet eſſe ſuper-
bum ſeruum hominem.

ACTVS IIII. SCENA I.

Interlocutores Iac. A. & Subſignatores.

ARGVMENTVM SCENÆ.

*Clerici ſubſignatores vbiquitatis oſtendunt ſe ſpe præ-
mij a. Iac. A. pellectos ſubſcribere, & ſubſcripſiſſe.*

Iac.A. Pergo ad alios, venio ad alios, [a] deinde
ad alios: vnà

Capt.

[a] Herculeus labor, & diſcurſationes variæ Iac.A. vt ſubſignetur vbiquitas.

Omnes compacto rem agunt, quaſi in vela-
bro olearij.

Fiũt obviã, gratulãturq; eã rẽ: vix iam miſer
Ex gratulando eminebam.

Subſig. Baſilicas edictiones atque imperioſas
habet,

Euge edictiones ædilititias hic quidẽ habet.

Satur homo eſt, habet profecto in ventre con
fidentiam.

Tum [b] piſcatores, qui præbent populo piſces
fætidos. (tur.

Pen.

[b] Iac.A. concitauit piſcatoriam tribum contra D. Ioã. Sturmium per ſuos emiſſarios.

Vt homo eſt, omnia genera hominũ recipiũ-

Iac. A. Non ego nunc paraſitus ſum, ſed re-
gum rex regalior,

Cui hominũ adæq; nemo vivit fortunatior.

Cedo

Capt.

Manum. Subſig. manum? Iac.A. manum, in-
quam, cedo tuam actutum. Subſi. Tene.

Iac. A. Gaude. Subſi. Quid ego gaudeam. Iac. A. Quia ego impero: age, gaude modo.
Nam te faciam fortunatum. Subſi. Malim, quàm miſerum quidem
Iac. A. Cedo manū. Subſ. En manum. Iac. A. Dij te omnes adiuuāt. Subſ. Nihil ſentio
Iac. A. At nunc liber in diuitias, faxo, venies
Mil. Glor. Subſ. Quod eſt inuidioſe faciundū, vt ſit male, atque ingratiis.
Epid. Iac. A. Immortales mihi hunc diem dediſtis luculentum,
Vt facilem, vt impetrabilem: ſed ego hinc migrare ceſſo
Vt importem in coloniam hunc, hunc auſpicio meo [c] commeatum.

c Id eſt, librū ſubſignitū.

ACTVS IIII. SCENA II.

Interlocutores Colleg. Theo. T. & Iac. A.

ARGVMENTVM SCENÆ.

Collegiū Theol. T. deriſum a Iac. A. interdicit, ne qui illi operam ferat. vnū Nicod. fr. tamen pro meritis laudat, quem in præfationibus antea laudare prætermiſerat. Porrò Iac. A. oſtendit non gratis ab illis illud auxilium ſibi datum fuiſſe.

Capt. Iac. A. Cepi captiuos commercari hic alios,
Si quem reperire poſſim.
Epid. Coll. Theol. Satine ille homo ludibrio nos vetulos decrepitos ſenes
Capt. Habet? Hos quos videtis ſtare hic captiuos viros,
Vos vos iam teſtes eſtis nos verum loqui.
Colleg. Theol. ad Stheph. G.

Ser-

Sermoni iam finem face tuo.

Colleg. Theol. ad Hect Abuſ. Terent. Epiſtolæ compilatorem

Ne epiſtola quidem vlla ſit in ædibus,
Nec cerata adeo tabula,
Nec vlla ſit cera, vbi facere poſſis litteras.

Colleg. Theol. ad Nicod. fr.

Vbi periurauerís,
Vbi heris damno, moleſtiæ, dedecori ſepe fueris;
Vbi amicæ, quã amico tuo, fueris magis fidelis.
Nũ malè relata eſt gratia? collegã collaudaui.
Iac. A. Plus ſcire, quam loqui
Oportet homines ſeruos
Par [a]pari datum illis hoſtimentum eſt, opera pro pecunia,
Vetus eſt, [b]nihili coaxatio,

a Euallage, id eſt, ab ijs data opera eſt pro pecunia.
b Non ſine præmio eſt iſtorum vel duntaxat coaxatio.

ACTCS V.

Fructus vbiquitatis, nempe, Vincula, Diſcordiæ, Deſolatio Germaniæ.

SCENA I. Vincula.

Interlocutores Iac. A. & Recuſantes ſubſcriptionem.

ARGVMENTVM SCENÆ.

Deſcribũtur vincula, quæ a Iac. A. iniecta ſunt bonis viris recuſantibus ſubſcriptionem Vbiquitatis. *Amph.*

Iac. A. Qui me alter eſt audacior homo, aut qui confidentior?
Debetis velle quæ velimus.
Recuſ. Virtute oportet vos victores innuere,

Neque ambitione, neque perfidia. Iac. A. Qu minus?

Recus. virtute ambiri oportet, non fauitoribus.

Sat habet fautorum semper qui recte facit.

Asin. Iac. A. Non tu scis Bacchæ bacchanti si velis aduersarier,

Ex insana insaniorem facies, feriet sæpius.

Recus. Non puduit te id ætatis sycophantias

Extruere? Iac. A. Maximas nugas agis.

a Brentij. Volo mei [a] patris esse similem.

Recus. Istoscine patrem æquum est mores liberis largirier?

Iac. A. Verbum caue saxis, verbero.

Imò intus potius, sequere me hac.

Recus. Num me illuc duces, vbi lapis lapidem terit.

Vbi flent nequam homines, qui pollentam pinsitant.

Rud. Proh Cyrenéses populares, vestram ego imploro fidem,

Agricolæ, accolæ, propinqui, qui estis his regionibus,

Ferte opem inopię, atque exemplú pessimum pessundate,

Vindicate, ne impiorum potior sit pollentia,

Quam innocentum, qui se scelere fieri volunt nobiles.

Statuite exemplum impudenti, date pudori præmium.

Facite hîc lege potius liceat, quam vi, victo viuere.

Hic est qui tam parui Deum

Pendit: fraudis, ſceleris, particidij, periurij
Plenus, legirupa, impudens, impurus, inverecundiſſimus.

Iac. A. Nunc demum eſt, quum omnium *copiarum, denique opum, auxilij, præſidij
Viduitas vos tenet, nec quiſquam eſt qui ſalutem afferat.

Recuſ. Sed nunc vt ſeſe ferunt res fortnneque noſtræ, mori
Par eſt. Neque eſt melius morte in rebus malis miſeris

Iac. A. Te vſque habitare oportet, donec totum carcerem contriueris.
Ducite
Vbi ponderoſas craſſas capiat compedes.

Recuſ. Vt ſæpe ſumma ingenia in occulto latent:

ACTVS V. SCENA II.

Diſcordiæ, ſecundus fructus vbiquit.

Interlocutores.

Mart. K. Vnus ex conciliatoribus, & Iac. A. inter ſe iam diſcordes.

ARGVMENTVM SCENÆ.

Ic. A. a Mart. K. in libro de duabus in Chriſto naturis, mirifice defenſus, ſed a Iac. A tamen per ſimulationem amicitiæ deceptus eſt. Illi ergo propterea nũc Mart. K. iraſcitur.

Iart. K. Ego tibi ſalus ſum. *Aſin.*

ıc. A. Tam ego homo ſum, quàm tu.

Iart. K. Scilicet ita res eſt.
ed tamen me

Nun-

Nunquam hodie induces, vt tibi credam.
Lupus est homo homini, non homo, quum qualis sit, non noris.

Capt. Qui cauet ne decipiatur, vix cauet, quum etiam cauet.

Iac. A. Captus est, semel deceptus,
Satis sum.
Mart. K. Sator sartorque scelerum, & messo maxume,
Dum pereas, nihil interdico,

Aul. Altera manu fert lapidé, altera ostentat pan

ACTVS V. SCENA III.

Interlocutores.

Iac. A. & Nicol. v. Vnus ex Conciliatoribu vbiquitatis inter se iam discordis.

ARGVMENTVM SCENÆ.

Asin. *A. Iac. A. Exprobatur Nicol. v. ingratitudo, et si tan non negat. Iac. A. se illi inuidere.*

Iac. A. Ingrata atq; irrita esse omnia intellig
Quæ dedi & quod benefeci. At posthac tibi
Malè, quod potero facere, faciam, meritoqu id faciam tuo.
Nicol. v. Culpa tua isthæc, qui Discipulum
Semidoctum abs te semoues.
Omnes profecto liberi lubentius sumu quàm seruimus.
Iac. A. Ædepol minime miror, is si me fugi aut oculos meos,
Aut si me odit.
Nicol. v. Est miserorum vt maleuolentes si

Epid. Iac. A. Herclè miserum est ingratum esse h
ne

minem id quod facias benè.
Nihil amas, quum ingratum amas. *Perſ.*

ACTVS V. SCENA IIII.

Deſolatio Germaniȩ tertius vbiquit. fructus.
Interlocutores Iacob. A. & German.

ARGVMENTVM SCENÆ.

Conqueritur Germania de ſua vaſtitate a Iac. A. facta : ille tamen nihil inde mouetur : imo propterea triumphat.

Iac. A. Dij immortales id voluerunt, vos hanc ærumnam exequi. *Capt.*
Decet id pati animo æquo: ſi id facitis, leuior labor erit.
Domi fuiſtis, credo, at olim, liberi,
Nũc ſeruitus ſi euenit, ei vos morigerari, mos bonus eſt.
German. Indigna digna habenda ſunt, herus quæ fecit.
Iac. A. Eiulatione haud opus eſt.
Germ. Quid credis? fugitant omnes hãc prouinciam,
Nulla eſt ſpes iuuentutis,
Tũ deniq; omnes noſtra intelligimus bona,
Quum quæ in poteſtate habuimus, ea amiſimus.
Iac. A. Nugæ iſthæc. Non me cenſes ſcire, quo dignus ſiem?
Fui ego lepidus, vel bonus vir nunquam, neque frugi bonæ,
Neque ero vnquam, neque ſpem pone me bonæ frugi fore.

 At

At in re mala, animo si bono vtare, adiuuat.

Rud. Germ. Qui gentes omnes, mariaque, & terras moues,

Operta quæ fuerant, aperta sunt, patent præstigiæ.

Iac. A. At ego basiliscus sum.

Germ. Quid isti, qui quotannis nomina inueniunt [4] noua?

Trucul.

Rud. Iac. A. Plus potest, *b* qui plus valet.

Germ. Ergo animus æquus optimus est ærūnis condimentum.

Huic amanti ad Philocomasium hanc efficiamus copiam,

Vt eam hinc abducat, abeatque.

a Qualis.
1 Vbiquitas.
2 Maiestaticum corpus.
3 Ascensio, id est, Euanescentia.
4 Effusio proprietatū.
5 Penetratio naturarum.
6 Infernus in cœlo.
7 Cœlum in inferno.
8 D. Superintendēs.
b Illius doctrina obtinet, qui plus gratia potest.

ACTVS V. SCENA V.

Interlocutores Saxon. & Iac. A.

ARGVMENTVM SCENÆ.

Saxonia accusat I. A. quod suam, non publicam vtilitatem ipse spectarit in Saxonia versans.

Saxon. Ad suum quemque hominem quæstum esse æquum est callidum.

Iac. A. Data verba hero sunt.

Saxo. Nostra ætas non multum fidei gerit.

Asin. Iac. A. Rem meam

Rud. Constabiliui, quum illuc iui.

Aul. Nunc spectatores, Iouis summi causa, clare

Capt. plaudite.

Amph. FINIS.

Calliopius ad Spectatores & Lectores.

Sic in breues Actus, & Scenas diuiſa eſt hæc Tragicocomœdia, vt facilius a pueris memoriȩ mandari, & in omnibus conuiuijs agi poſſet. Habet autem autor eiuſdem argumenti plures alias, ſed per Hectotis Abuſigeri (qui in eas ſingulas nondum paratos prologos habebat) negligentiam ædi his nundinis non potuerunt, edentur proximis. Valete & Plaudite. Exſpectantur etiam Andreadis libri xij ex Vergilianis verſibus collecti propediem puplicandi magna omnium lætitia. Nec diu hac voluptate Lector priuaberis.

Andreas Germanus Iacob. And. S. P.

Obſecrat Andreas Germanus Iac. Andreæ filium, vt hoc ſuum ſcriptũ de rebus Germanicis in Germanicam linguam quumprimũ Germanè conuertat, quò ab omnibus Germanis in Germania & extra Getmaniam intelligi Germanicè poſſit, quoniam hodie plerique iam hoc tantum idiomate & ſtylo de hoc argumento in Germania ſcribunt, & ſciunt.

